

XV

AD NEAERAM AMICAM

*Heroico-iambicus minor*

Nox erat, et caelō fulgēbat Lūna serēnō  
Inter minōra sīdera,  
Cum tū, magnōrum nūmen laesūra deōrum,  
In verba iūrābās mea,  
Artius atque hederā prōcērā astringitur īlex,  
Lentīs adhaerēns bracchiīs,  
Dum pecorī lupus, et nautīs īnfēstus Orīōn  
Turbāret hībernum mare,  
Intōnsōsque agitāret Apollinis aura capillōs,  
Fore hunc amōrem mūtuum.  
Ō dolitūra meā multum virtūte, Neaera ;  
Nam sī quid in Flaccō virī est,  
Nōn feret assiduās potiōrī tē dare noctēs,  
Et quaeret irātus parem ;  
Nec semel offēnsae cēdet cōnstantia fōrmae,  
Sī certus intrārit dolor.  
Et tū, quīcumque es fēlīcior, atque meō nunc  
Superbus incēdis malō,  
Sīs pecore et multā dīves tellūre licēbit,  
Tibīque Pactōlus fluat,  
Nec tē Pŷthagorae fallant arcāna renātī  
Fōrmāque vincās Nīrea,  
Ēheu ! trānslātōs aliō maerēbis amōrēs :  
Ast ego vicissim rīserō.